

## P R A E F A T I O.

„**C**um tota Philosophia (Ciceronis verbis utar) frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta et deserta sit, tum nulla feracior in ea locus est, nec uberior, quam de Officiis, a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur:” et postquam Socrates primus a rebus occultis, et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerant, e coelo philosophiam in terram invocaverat, et ad vitam communem adduxerat, nulla philosophiae moralis pars a philosophis magis est elaborata, quam de Officiis, nullaque in re magis erant occupati philosophi. Ipse enim purioris Philosophiae parens, satiens ille Socrates, multa docendo de Officiis praecepit: cujus praecepta, tanquam splendidissima ingenii humani monumenta, nobis servavit Xenophon. Socratem secuti philosophi multum temporis contriverunt, in indagandis iis, quae hominem deceant, dedeceantque. Inter illos non infimo loco sunt nominandi Stoici, inter quos eminent certe princeps Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, Posidonius.

Dolendum vero est, omnia horum scripta jam dudum esse deperdita, nec quidquam de iis, nisi fragmenta quaedam mutila, superesse: et in summis versaremur tenebris, nisi splendidissimum antiquitatis opus de Officiis, a M. T. Cicerone conscriptum, temporum injuriam superasset, atque eo, ceterorum jacturam et interitum, facilius oblivisci possumus. In his enim Cicero nobis servavit Stoicorum, et praesertim ex omnibus Stoicis elegantissimi Panaetii, placita de hac Ethices parte.

Illi, cui nota est Ciceronis universa doctrina et eruditio, mirum videri non potest, his in libris non tantum permulta inveniri, quae philosophiam illustrant, sed et multa, quae, tum explicandis Juris Naturalis, cum Juris Romanorum Civilis, locis inserviunt ita, ut aureus iste libellus, non tantum Philosophiae studio addictis, sed Juris etiam studiosis, summa diligentia sit evolvendus.

Sed operis laudem operosa commendatione indigere haud arbitror, cum illud, ab omni aeo, viri Literati summis laudibus ad coelum evehcerint.

Cum de multorum Ciceronis librorum analysi et constitutione doctrinae, proximis hisce annis, bene meruerint nostrates, Viri praeclari, veluti B. P. v Wesele Scholten, Vir Cons. qui locum De Natura Deorum ex Ciceronis scriptis accurate et eleganter per-

*tractavit et explanavit, in Dissertatione, quam publice defendit, Praeside V. Cl. D. Wyttenbachio, Amstelod. 1783. — D. J. van Lennep, V. Cl., Amstelodamensis Athenaei ornamentum, qui libros Ciceronis de Finibus bonorum et malorum haud minori laude et elegantia explicuit, in Dissertatione, quam, Praeside V. Cl. H. C. Cras, ad publicam disceptationem proposuit, Amst. 1793. et denique E. C. d'Engelbronner, Vir Cons., qui libros Ciceronis de Legibus ita illustravit, ut ad perfectam horum librorum intelligentiam nihil desideretur, in Disputatione publice defensa, Amst. 1802, praeside eodem H. C. Cras; cum hi, inquam, de Cicrone tam bene meriti fuerint, nemini mirum accidet, a Facultate Juridica in Academia Lugduno-Batava postulari Disputationem simili ratione elaboratam de Ciceronis libris de Officiis.*

*Cum igitur ex Decreto Regis Augustissimi haecce quaestio proponeretur, ut Cives Academici inter se de palma certarent: etiam in illam meas vires, qualescunque sint, experiri volui.*

*Illam enim quaestio juveni, praesertim Jurisprudentiae operam navanti, latissimum aperiat disserendi campum, et uberrimos proferat fructus, necesse est. In his enim libris exposita videt Juris naturalis fundamenta: videt et ab his Jus Romanorum Civile repetitum. Licet multa insint, quae ad Jurisprudentiam minus pertineant, Juris Consulto utilissima tamen esse possunt. Philosophiae enim scientia, praesertim Stoicorum, Juris cultori necessaria est, si ad intimos Jurisprudentiae Romanae recessus penetrare velit. Quamvis ea quaestio utilitate et elegantia se mihi maxime commendaverit: diffiteri tamen nequeo, neque volo, me ad vires periclitandas etiam impulsisse gloriae cupiditatem. — An. propositae quaestioni satisfecerim, videant aequi judices, Leidensis Academiae Juris Professores, viri Clarissimi.*

*Quod autem ad ipsam, quam in explanandis hisce libris secutus fuerim, rationem attinet, totam disputationem in quinque Capita divisi, quorum Caput Primum continet notitiam Literariam et Historicam librorum Ciceronis de Officiis.*

*Caput II. agit de Officiis in genere, eorumque definitione et divisione in ejusdem libris.*

*Caput III. complectitur Ciceronis doctrinam de honesto, qua praesertim liber primus explicatur.*

*Capite IV. explanatur liber II, in quo de Utili agitur, et*

*Capite V. agitur de pugna utilis cum honesto, quae libro III. continetur.*

*Sed haec haecenus. Jam ad ipsam accedamus disputationem.*